

humilis corde, qui se pastorem, et non mercenarium omnibus exhibere noverat : « Scio, fili dilectissime, scio quæ circa te aguntur ; et propterea paterno pietatis tibi compator affectu. In hac namque tanta mora absentiae meæ, cum desideratissima semper mihi fratrum meorum præsentia corporali carere compulsus fuisset, et per Domini gratiam concessum mihi esset, ut quod corporaliter non poteram, spiritualiter supplerem ; rediens in spiritu singulas circuirem officinas, qualiter se fratres haberent, diligentius explorans, etiam ad cellam Novitiorum accessi : in qua cum universos in timore Dei exsultantes, et ad poenitentiae labores accinctos invenissem, te solum nimia tristitia deperire considerans, ingemui. Cumque blandiendo tibi te mihi astringere vellem, tu me aversatus, et faciem a me avertens, amarissime flebas, ita **1202** ut cuculla nostra lacrymis tuis infunderetur. » Hæc dicens Pater sanctus, et spiritualibus monitis aggressus captivum, mœrorem fugavit, et in spiritualis lætitiæ libertatem, jam pene tristitia absorptum revocavit.

18. Vere mirabilis Deus in sanctis suis : vere ineffabilis Deus, et ineffabilia opera ejus. Quid enim in hoc beatissimo Patre nostro magis admirer, nescio : an quod tantam et tam insolitam gratiam a Domino percipere non semel, sed pluries meruit : seu quod tam excellentem gratiam percipiens, non eam apud se servavit, teste conscientia ; sed nec paucis familiaribus suis eam revelavit, quod certe et ipsum sine periculo vix fieri posse videretur. Verum in publico conventu, sicut supra retulimus, coram universitate fratrum, eam sibi, collatam esse manifestavit, et tamen mentem adeo in timore Dei solidatam habuit, ut vanitatis spiritu nequaquam pulsari timeret. Invenitur etiam in Gestis (127) hujus beati Viri, quod adhuc in carne degens, Novitio cuidam in Clara-Valle graviter ægrotanti, cum multitudine monachorum in spiritu, apparuit prædicens ei quod quinta die foret moriturus ; et quod ipsa quinta die, sole jam ad occasum vergente, visitans eum jussit confidere, et nihil timere, sed recto protinus cursu perfringere ad Dominum Jesum Christum, et offerre ei humilem suæ Claræ-Vallensis familiæ salutationem. Ad quam vocem Novitius, qua potuit capitis inclinatione, et motu annuens labiorum, clausis oculis eadem hora obdormivit in Domino.

## CAPUT XIII.

*De vocatione plurimum clericorum Parisiensium ad religionem*

19. Quadam præterea die cum vir Domini Bernardus, causa exigente Parisios adiisset [*alias*, Parisius adisset] rogata clericorum ingressus est de more scholasticorum. Quibus ostendens formam veræ philosophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, et subeunda pro Christo Domino voluntaria paupertate. Explicito vero sermone, cum nemo ex eis converteretur, tristis egressus est, eo quod præter votum, et præter

(127) Quæ sint hæc Gesta, necdum nobis compertum. Consimile refertur ab Herberto in lib. II, cap. 40.

solitum id ei accidisset : veniensque ad domum cujusdam archidiaconi, qui eum ad hospitium suum traxerat, recessit in oratorium ibidem constitutum. Cumque cepisset orare in spiritu vehementi, validissima compunctione totus in lacrymas resolutus est ; ita ut gemitus et singultus, quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto præfatus archidiaconus a sociis ejus requirere cepit, quænam esset causa tanti mœroris. Respondens autem unus ex eis, vir religiosus, quodam abbas Fusiaci, nomine Rainaldus, qui secretorum Famuli Dei magis conscius erat, et ejus etiam relatu ista cognovimus, dixit ad eum : « Homo iste mirabilis, totus igne charitatis accensus, et totus in Deum absorptus, nihil aliud in mundo desiderat, nisi tantummodo, ut valeat errantes ad viam veritatis reducere, et eorum animos Christo acquirere : et quia modo verbum vitæ seminavit in scholis, et de conversatione clericorum (128) fructum verbi sui non recepit, Deum sibi putat iratum, cujus hodie in sua prædicatione non sensit respectum. Hinc ista procella gemituum ; hinc effusio lacrymarum : proinde hinc certissime spero, quod hodiernam sterilitatem crastinæ satisfactionis ubertas grandi fenore compensabit. »

20. Mane itaque facto cum scholas repetisset prædicator egregius, ad nutum Domini navem cogitationis duxit in altum, et sacræ Scripturæ retia laxavit in capturam. Finito vero sermone, plurimi ex eisdem clericis per manum illius sese Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculo, tanquam de marinis fluctibus extractos, et vehiculis conductis impositos in salvatorium Claræ-Vallis inferre non distulit. Tandem egressus de civitate cum comitatu suo usque ad villam Sancti-Dionysii venit, ibique pernoctavit. Summo vero mane, cum eum recto itinere profecturum fratres illius æstimarent, **1203** dixit : « Redeundum est nobis omnibus Parisius, quia sunt adhuc ibi aliqui ex nostris, quos etiam oportet nos inde abducere, et jungere huic ovili dominico, ut fiat unus grex, et unus Pastor. » Cum ergo cœpissent introire civitatem, vidit clericos tres a longe in occursum ejus venientes, dixitque ad socios suos : « Expedivit nos Dominus ; jam in viam nostram proficiscemur. En isti sunt clerici, propter quos venimus. » Illi vero accedentes, cum eum adesse cognoscerent, gavisus sunt gaudio magno, et dixerunt : « O quam desideratus advenis, beatissime Pater, quia propositum nostrum erat adire te, et vix putabamus abeuntem consequi posse ! » Qui respondens, dixit ad illos : « Et ego noveram, dilectissimi ; propterea festinabam cum panibus occurrere fugientibus vobis. Gradiamur itaque simul, eroque per gratiam Dei ductor itineris vestri. » Adjunctis ergo cæteris supra nominatis, sicut sunt hominem sanctum adherentes ei, et sub disciplina magisterii ejus spirituales militiam exercentes cunctis diebus vitæ suæ.

(128) Sermo ille de Conversatione ad Clericos, exstat tomo II.

## CAPUT XIV.

*De mirabili dono prophetiæ in sancto Bernardo, et de prædictionibus ejus impletis.*

21. Ad benedictionem hujus sancti patris Bernardi, quidam aliquando Novitii ejus veterem hominem cum actibus suis exuentes, novum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, induerunt ; de quibus Vir beatus in spiritu Dei loquens prædixit, omnes eos gratiam spiritualis dignitatis adepturos, nomen et officium abbatis sortituros. Cumque succedentibus annis, temporibus opportunis in singulis eorum verbum prophetiæ hujus effectui manciparetur, unus ex eis, nomine Petrus, quem in Suecia ad domum Novæ-Vallis Abbas sanctus direxerat, post obitum ipsius per annos quamplurimos, usque ad senectam, imo pene decrepitam ætatem absque hoc munere gratiæ vixit, eo quod simplicioris esset naturæ ; et ad tantum officium administrandum minus idoneus existimaretur. Sed quid ? nunquid vel in extremis finibus mundi latens, vel gravioris ætatis incommoda sustinens, omnipotentiam sancti Spiritus effugere potuit, quominus impleretur de eo, quod per os prophetæ sui Bernardi idem Spiritus tanto ante prædixerat ?

22. Denique per tanti temporis spatium, cum jam fere in oblivionem venisset, quod de hoc columbinæ simplicitatis homine Pater sanctus prædixerat, accidit ut fratres de quadam domo Novæ-Vallis, in insula, quæ Gotlandia dicitur, sita, destituti pastore, secundum generalem consuetudinem Ordinis ad matrem suam recurrerent, quatenus per providentiam et sollicitudinem patris abbatis domui ipsorum dignus dispensator constitueretur. Et volente Domino, sine cujus nutu nec folium arboris, nec unus passerum in terram cadit ; tam patri abbati, quam cæteris, qui electioni intererant, placuit, ut prædictum senem in hanc partem sollicitudinis assumerent, qui tanto fiducialius de pietate Dei sanctissimique Patris sui meritis confideret, quanto humilior de sua insufficientia diffideret. Quod ubi factum est, et verbum quod olim Sanctus prædixerat, ad memoriam revocatum, ubique divulgatum est ; mirati sunt omnes qui audierunt, dicentes promotionem tam senis et simplicis hominis ad hoc tantum divina dispensatione fuisse provisam, ne ex omnibus, quæ per spiritum prophetiæ locutus est Homo Dei, unum saltem iota vel unus apex incassum prolata viderentur.

## CAPUT XV.

*De latrone a crucis supplicio per sanctum Bernardum liberato, sed cruci religiose deinceps addicto.*

23. Contigit aliquando, eundem Dei famulum pro quibusdam negotiis adire comitem Theobaldum. **1204** Cum appropinquaret oppido, ubi ille tunc erat, obviam habuit turbam hominum copiosam, qui jubente Comite latronem quemdam facinorosum atque famosum ad supplicium pertrahabant. Quo

(129) Hinc non immerito infert Manricus ad annum 1146, cap. 3, tunc temporis jam morem fuisse, ut Novitii in veste non sæculari, quod Regula præ-

PATROL. CLXXXV.

viso clementissimus Pater apprehendens manu sua eorum, quo erat miser astrictus, ait tortoribus ejus : « Dimitte mihi sicarium istum : ego enim volo manibus meis suspendere eum. » Audiens autem Comes adventum Hominis Dei, festinavit illico occurrere ei : miro namque devotionis affectu semper eum dilexit, atque eum honoravit. Cumque videret funem in manu ejus, quo latronem post se trahebat, exhorruit vehementer, et dixit : « Heu, venerabilis pater, quid est quod facere voluisti ? ut quid enim furciferum istum millies condemnatum a porta inferi revocasti ? nunquid eum salvum facere poteris, quia jam totus diabolus factus est ? Desperata est penitus correptio illius, nec unquam bene facere poterit, nisi moriendo. Sine ergo domine pater ; sine perditionis hominem perditum iri, quoniam de pestifera vita ejus multorum vita periclitatur. »

24. Respondens autem Pater sanctus dixit : « Scio quidem, virorum optime, scio hunc latronem esse sceleratissimum, omniumque tormentorum acerbitate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere ; quin potius cogito ipsum tortoribus tradere, et dignam ex eo capere ultionem, quæ utique tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu illum decreveras brevi supplicio et momentaneo interitu consummari : sed ego eum faciam diuturno cruciatu, et morte longissime mori. Tu furcis appensum per unum, aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres : ego crucifixum per annos plurimos faciam in pœnis jugiter vivere et pendere. » Quo audito Princeps christianissimus siluit, nec ausus est ultra contradicere sermonibus Sancti. Protinus ergo benignissimus Pater exuta tunica sua, ex ea induit captivum suum, et attonsa coma capitis ejus (129) sociavit illum ovili dominico, de lupo faciens agnum, de latrone conversum. Qui veniens cum eo ad Claram-Vallem, factus est deinceps obediens usque ad mortem, pulchre nominis sui etymologiam exprimens in constantia propositi sui : Constantius enim vocabatur. Itaque triginta, nisi fallor, et eo amplius annos in ordine supervivens, migravit ad Dominum, qui eum per merita beatissimi Patris nostri a duplici morte, corporis videlicet et animæ, misericorditer eripere dignatus est.

## CAPUT XVI.

*Qua reverenti sanctus Bernardus susceptus est Mediolani.*

25. Domino Rainaldo, cujus supra mentionem fecimus, indicante cognovimus, quod famulus Dei Bernardus, cum venisset aliquando Mediolanum pro reconciliando schismate Petri Leonis, cum tanta exultatione universorum susceptus est, ut tota civitas fere per unam leucam rueret in occursum ejus. Multi vero eorum per quatuor aut quinque miliaria processerunt. Ita denique sibi in ipso compit, et Bernardus tradit epistola 1, sed religiosa induerentur, tunicæ et cappæ addita tonsura.



placuerunt, ut eum ante non vidissent, ingressum in urbem mox in archiepiscopum unanimi consensu raperent potius, quam eligerent. Quod cum ille recusasset, parati erant omnino vim facere, nisi fuga latenter evasisset. Cum ergo ibi sederet in quadam amplissima domo, tanta circa eum erat hominum multitudo, ut nullus ingredi posset. Interea quidam de civibus ejusdem urbis, vestitu et vultu honorabilis, cum Dei Hominem omnimodis adire cuperet, et nusquam aditum reperiret, mediis se turbis ingressi, manibus ac pedibus reptans, et super colla sedentium gradens, quousque ad ipsum quem desiderabat perveniret. Cumque apprehendisset pedes ejus, cepit eos mira devotione amplecti, et deosculari. Quod videns supradictus Rainaldus, qui propius assidebat, accessit ut amoveret eum, sciens utique quia Vir sanctus hujusmodi **1205** venerationibus et obsequiis nimis gravabatur. Ille vero conversus dixit ad eum: » Dimitte me, obsecro, dimitte me videre et tangere hominem proximum Deo, et vere apostolicum virum: dico enim tibi, et in fide christiana testificor, quia vidi illum inter Apostolos Christi. « Quod audiens monachus ille miratus est, et cupiens plenius nosse, volebat ab eo inquirere modum visionis hujus, sed prae pudore propter astantes non praesumpsit: verumtanem magnam exstitisse revelationem ipsam certissime credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga Famulum Dei.

## CAPUT XVII.

*De petulantia haeretici cujusdam, Bernardo insultantis, lepide retusa et confusa.*

26. Quodam tempore, cum legatus domini Papae, aliqui quoque episcopi pro confutanda haeresi Manichaeorum ad partes Tolosanas sanctum Domini Bernardum secum traherent, paraverunt ei fratres equitatum solito meliorem, quae tam longo itineri sufficere posset. Qui cum ad illas partes comitantibus episcopis devenisset, Henricus quidam, quondam monachus niger, tunc autem apostata vilis, et eorumdem haereticorum princeps, cogito adventu Famuli Dei, veritus est a facie ejus, sciens quod non posset resistere sapientiae et spiritui qui in eo loquebatur. Proinde maturata fuga delituit, et minime potuit usquam eo tempore reperiri. Ibi quoque glorificavit Dominus servum suum in conspectu totius populi et principum terrae, faciens quotidie per manus illius signa et prodigia magna in plebe. Nec facile credi potest, quanta turbarum infinitas apostolicum virum tota die prosequeretur, dum alii eruditionem, alii curationem, universi ab eo benedictionem postularent. Quadam igitur die, praesente innumerabili hominum multitudine, cum eos copiosius de fide catholica conservanda, et de immunda

(130. Huc referri potest id quod de cenobitis sui temporis scribit Otto Frisingensis in Chronici libro 7, cap. 35: » Ponunt ad carnem tunicas asperrimas, superque eas alias (id est cucullas) cum capitulis latiores. Differunt autem in hoc, quod alii ob con-

haereticorum societate vitanda commonisset, contigit quemdam adesse de haereticis illis, qui potentior caeteris atque prudentior videbatur: qui cum amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei Famulo populus imponebat, moliebatur aliquid agere, unde claritatem opinionis ejus aliquatenus obnubilaret, et daret maculam in gloriam illius. Jamque expletis omnibus, quae ad praesens necessaria videbantur, Vir Dei equum suum ascenderat, ut abiret; et ecce, praedictus haereticus, quasi coluber tortuosus, erecto capite venit ante Hominem Dei, et clamans coram omnibus ait: Domine abbas, scialis quia caballus magistri nostri, qui tam malus vobis apparet, non ita cervicosus et pinguis est, sicut iste sonipes vester. » Quo audito, Vir mitis et patiens respondit ei mox tranquillo vultu et animo, dicens:

« Non diffiteor, amice, quod astruis. Verumtamen scire te convenit, quia jumentum istud, de quo mihi insultas, brutum est animal, unum utique ex illis quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Quod si pro libitu suo comedit, atque pinguescit; nihil inde justitia laeditur, nihil Deus offenditur: quia jumentum, quod suum est, facit. Proinde non erimus arguendi in iudicio Dei, sed et magister tuus de cervicibus jumentorum sed unusquisque de collo suo iudicabitur. Nunc ergo, si placet, respice collum meum, et vide si grossius sit collo magistri tui, unde me juste forsitan reprehendere poteris. » Hoc itaque dicto capitium exiit (130), et capite denudato usque ad humeros, apparuit ipsius collum, ut erat productum et gracile: quod quamvis esset carnibus exesum et tenue, erat tamen ex dono caelesti pulchrum et candidum nimis, sicut collum oloris, quod cum viderent universi qui aderant, letati sunt laetitia magna, benedicentes Dominum, qui dedit in ore Famuli sui tam paratum et conveniens responsum, unde confunderetur et obstrueretur os loquentis iniqua.

**1206** CAPUT XVIII.

*De caeco, mirabili fiducia et devotione erga ipsa sancti Patris absentis vestigia, visum recipiente.*

27. Dum adhuc in eadem regione reverendissimus Pater moraretur, et tanquam ex Apostolis unus circuiret per castella et civitates evangelizando et curando omnes languores, haereticorum quoque turpissima deliramenta redarguedo, convincendo, confutando: accidit ut caecus quidam in vicinia eadem, comperta fama virtutum atque signorum, quae per manus Hominis Dei multiplicabantur per dies, spe recuperandae sanitatis animatus, eundem Dei famulum adire decreverit, si forte beneficio caelestis gratiae, quae per ipsum miseris mortalibus copiose tribuebatur, sibi quoque caecitatis caligine detera lumen dulce restitueretur. Accelerans ita-

temptum mundi exprimendum eamdem vestem nigram tantum gerunt: alii vero de colore vel grossitudine nihil causantes, albam vel griseam, aliamve, abjectam tantum et asperam, ferre consueverunt. »

que, et ubinam Sanctum Dei reperire posset, sollicitus inquirens, audivit eum in quodam celebri conventu, in medio magna multitudinis consistere, verbumque vitae disseminare. Quod cum pedibus offensus, et anhelus currens pervenisset, tristi rumore percellitur, quoniam Vir Domini jam inde recesserat, et ad alia loca transmigraverat. Quid tamen ageret? siquidem desiderium recipiendae sanitatis cum eum ulterius currere compelleret, densissimae tenebrae quae ejus oculos obsederunt, pigrum et minus expeditum reddebant. Cumque in defectione mentis multa tristitia tabesceret, subito divina gratia inspiratus, et de meritis beatissimi Viri spem toto corde concipiens, circumstantibus ait, « Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum, in quo hominem Dei stelsse certissime scitis. » Quod cum benevolentia eorum, qui aderant, continuo consecutus fuisset; veniens ad locum, toto corpore in terram prosternitur, mira devotione pulverem ipsum, in quo sacra Veri Dei vestigia steterant, deosculando, Dominique misericordiam per merita Servi sui enixius implorando. Quod cum diutius faceret, et de ipso pulvere fide plenus oculos suos confricaret, repente miserante Domino, qui sanctitatem Famuli sui, licet absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum recepit. Quod factum non solum Catholicis fidei orthodoxae firmamentum contulit, verum etiam malegloriis haereticis confusionis et opprobrii notam adauxit. Caeterum quis digne referre sufficiat, quam fundatus in humilitate, submissus in timore, pavidus circumspectione fuerit hic Vir beatus, in omni gloria et honore, quo colebatur a populis, tribubus, et linguis, quocumque eum negotiorum ecclesiasticorum causa devenire contigisset? Ut enim de caeterarum regionum nationibus taceam, quae catholicae fidei puritate illustrabantur, certe hi ipsi Gasconiae populi, quos de faucibus profundissimae haereseos Pater sanctus verbo praedicationis, signis etiam et prodigiis admirandis, tanquam de ventre inferi revocabat, ipsum tanto devotionis venerabantur fervore, ut cedens aliquando importunitati eorum, et in cathedra residens, seipsum voluntati eorum exponeret. Tantaque fuit multitudo irruentium populorum benedictionem poscentium, ac sacras manus deosculantium, ut tenerrina prorsusque attenuata carne ipsius compressionem et impetum crebro deosculantium ferre non valente, manus et brachia sacra in modum pugnorum intumescerent, et unde alii benedictionem sibi, per virtutem quae de illo exibat, procurabant inde ipse debilitatus, et penitus conquassatus, graves corporis molestias sustineret. Per omnia benedictus Deus, qui his novissimis diebus in Cisterciensi Ordine, tam perfectae religionis et consummatae justitiae hominem suscitare dignatus est, per quem monasticus Ordo in antiquam sacrae religionis vigorem reflouesceret, et Ecclesia Dei per apo-

stolicam gratiam ipsi collatam divinae misericordiae beneficia plurima consequeretur.

**1207** CAPUT XIX.

*De impio quodam et blasphemo, a mortuis per beatum Bernardum resuscitato.*

28. Terram Jerosolymorum tempore quodam occupantibus Sarracenis, beatus Bernardus (cujus animam christianae desolationis gladius acerbitate singulari perfoderat) circumquaque discurrens, ad ulciscendam Salvatoris injuriam, et ad expugnationem gentis incredulae, turmas fidelium non verbis tantum, sed signis et virtutibus hortabatur. Accidit autem cum in Alemanniam deveniret, et egredientem die quadam de Friburg, oppido memorabili in partibus Brisgaviae constituto, a quodam Henrico viro nobili et adhuc juvenulo, ad quamdam mansionem ipsius, ubi erat in vespera pernoctandum, deduci, praesente copiosa multitudine, et sequente. Cum autem idem Henricus accepto jam crucis signaculo non equitare, sed pedes proposisset incedere, donec expensarum apparatu cooivato, propositae peregrinationis iter arriperet: nihilominus Abbas sanctus ipsum ascenso equo secum comitari praecipit. Ascenso igitur equo secutus est protinus Abbatem. Videas hoc, et invidens quidam vir Belial, serviens ejusdem Henrici, homo totius pravitatis amator, et boni totius incredulus, in servum Dei cepit graviter blasphemare, et dominum suum talibus insequi maledictis: « Ite modo, et diabolum illum sequimini, et ipse vos diabolus apprehendat. » A latere vero duae mulierculae venientes, inter se tertiam deportabant, pedum et quorundam membrorum destitutam officio et contractam, Virumque Dei rogare volebant, ut calamitatem infirmae et bajularum angustias curationis optatae remedio relevaret.

29. Porro Henricus hanc intuens et misertus. « Agram, inquit, super collum equi mei mihi porrigite, et vos ad servum Domini properantes subsidium implorate. » Praefatus vero serviens ad hoc etiam pietatis opus domini sui indignans et impatiens, usquequaque ipsum invectione arguit acriore, quia ad incantatorem et maleficum e mentium eversorem esset miseram delaturus. Cui Henricus: « Non, » inquit, « sed defero, ut ad benedictionem Viri Dei recuperet sanitatem, et ex certissima ejus salutis fiducia tibi polliceor, quod si non eam sanaverit, equum cui insideo, tibi dabo. » Verbum igitur hoc ille grater et gratulanter accipiens, tota diffidentia faciendae virtutis risit pariter et irrisit, tam de curatione diffidens, quam de equi adeptione praegaudens. Illa vero dum ad Sanctum Domini delata fuisset, et desideratam sibi benedictionem illius adeptam, illico surrexit incolumis, alieno jam, sicut hactenus, ministerio non gestanda. Viso hoc serviens stupefactus, in impetu spiritus maligni, quem gerebat in pectore, festinavit praere parumper, ut conversus in faciem Viri



Dei, quidquid nequius vel turpius aspirante Satana concepisset inteirurus, in ipsius toto conamine maledicens et convicians jaclitaret. Verum ultione Domini protinus concurrente, ipse retro corruit resupinus, et cervice collisa spiritum exhalavit. Unde subito lamentandæ mortis ejus dolore percussus Henricus, casum lugubrem et occasum nuntiavit Abbati, supplicans ut cum paulum processisset, ad tam triste spectaculum remearet, dicente quoque eodem Henrico : « Hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blasphemus esse et contumeliosus non timuit. » « Heu, inquit, nolit hoc Dominus, ut propter me quispiam moriatur. »

30. Retrogressus igitur ad orationem, in qua sola in omni difficultate fidebat, se contulit, et ad longitudinem unius *Pater noster*, super eum silenter oravit; et mox præcepit adstantibus illum erigere: qui erectus, utpote jam defunctus, caput, carens cervicis suffragio, agebat miserabili circumflexu. Rursusque ait: « Tenete, tenete firmiter ei caput. » Demum appropinquans, et saliva sua, cujus medicinali unctione persæpius utebatur, loca læsuræ deliniens et consignans: « In nomine Domini, ait, surge. » Et iterum: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Deus tibi spiritum, tuum reddat. » Ille vero recepto mox spiritu factus est in animam viventem, vel potius redivivam,

1208 mirantibus præ gaudio, et in cælum voces ac laudes tollentibus universis qui aderant, et viderant tam manifeste mortuum revixisse. Interrogatus denique ab eodem Sancto Dei, quomodo victurus, quid acturus esset in reliquum: « Domine, ait, modo quo jusseris vivam, faciamque quidquid præcipies, quidquid voles. » Ab astantibus utrum esset jam mortuus [interrogatus]: « Mortuus, inquit, eram, et sententiam damnationis acceperam, ac nisi Abbas sanctus festinasset accurrere, eram ad inferna ducendus. » Ad exhortationem quorundam astantium crucis accepit signaculum, et cum cæteris Jerosolymam est profectus. Henricus iste in eodem itinere Deo et beato Bernardo se reddidit, et in Clara-Valle postmodum monachus ejus fuit. Hoc ipse miraculum cum fidelibus oculis esset intuitus, crederetque scriptoribus vitæ sancti Patris esse notissimum; deprehendo tandem fuisse silentio missum, indoluit, et ad gloriam Dei et Sancti sui, juxta quod præsentaneæ fuerat contemplatus, narravit, ut in quanta gloria sit habendus, quem ita glorificavit Altissimus, audiat et intelligat omnis generatio in sæculum sæculi secutura.

## CAPUT XX.

*De Alexandro canonico et doctore Coloniensi, per sanctum Bernardum ad religionem mirabiliter vocato.*

31. Apud Coloniæ-Agrippinam, quæ est insignis metropolis Germaniæ secundæ, fuit magister quidam Alexander nomine, (131) canonicus, doctorque

(131) Vide de eo supra lib. vi, c. 1, Eadem apud Herbert. lib. ii, cap. 23.

famosissimus in eadem urbe. Accidit autem ut Dei famulus beatus Bernardus Claræ-Vallensis abbas jubente Eugenio papa Germaniam ingrederetur, Jerosolymitanum iter Conrado imperatori, et populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis et virtutibus innumeris coroscaret, videns Imperator mirabilia magna quæ Dominus per eum ostendebat, compunctus corde, crucis signum de manu illius accepit. Jerosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere infinita hominum multitudo, ita ut incredibili fidei ardore succensi scissuras et fimbrias de vestimentis Famuli Dei, qui propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur, quicunque de indumentis ejus cruces habere non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles et sapientes viri per manum illius sese Domino reddiderunt, qui in Claram-Vallem ab eo deducti, et monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum Deo attulerunt. Ex quibus etiam erat unus supra memoratus vir nobilis Alexander, qui eo tempore vivens, et sæcularis scientiæ typho turgens, divitiarum quoque et transitorii honoris infulis adornatus, nihilominus conversionem, quam non cogitabat, sed Deus qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine, sicut sequentia declarabunt, adimplevit.

32. Cum enim beatissimus pater Bernardus ipsum de conversione monuisset, ille sæculari scientia vel opulentia tumens, respondit se ad præsens nihil minus cogitare vel velle, quam habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte, cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo, erigens eum de grabato, in quo graviter languens jacere videbatur, ac restituere sanitati. Deinde tulit habitum suum, quo erat ipse indutus, et ex eo contextit Alexandrum: qui cum eundem habitum semel et secundo rejectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo ejus injectum, et corpori valenter astrictum compulsus est retinere. Deinde Pater sanctus baculum, quem manu tenebat, ipsius manus tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, et ita abire præcepit. Evigilans autem Alexander, nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat.

33. Eodem vero die cum ille beatissimus Abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui perca nominatur, ut ex eo reficeretur. Quo viso Vir Dei, erectus in cælum oculis, super eundem piscem diutius oravit, et benedicens illum præfato Alexandro pro pitantia transmisit: quem cum ille gustare inciperet, ad primum illico 1209 morsum meruit in semetipso feliciter experiri, quantæ virtutis esset oratio Famuli Dei. Nam repente mutatus in alium virum, compunctus est valde, et cepit super eundem piscem lacrymas fundere. Mirabatur vero seipsum, nesciens quid haberet, vel cur fleret. Tandem recordatus visionis, quam nocte

præterita viderat, intellexit a Domino gratuita ejus miseratione se esse præventum. Unde supernæ vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei Famulo incontinenti se reddidit. A quo benigne susceptus, et in Clara-Valle monachus factus, et deinde Grandis-Silvæ pastor effectus, adeo in sanctitate vitæ profecit, ut postmodum fieret Cisterciensis cœnobii abbas, ac totius Ordinis Pater universalis (132). Hæc nos, sicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fidei relatione deprompsimus.

## CAPUT XXI (133).

*De mira sacerdotis concubinari, et monachi quondam Claræ-Vallensis, conversione.*

34. Monachus quidam de monasterio ejus et disciplina exiens, rejecto habitu, suadente diabolo ad sæculum rediit, et parviciam quamdam regendam suscepit. Erat quippe sacerdos: et quia sæpe peccatum peccato puniatur, desertor Ordinis in vitium labitur libidinis. Concubinam, sicut multis consuetudinis est, ad sibi cohabitandum accepit, de qua et liberos genuit. Accedit ut post annos plurimos, miserante Domino, qui neminem vult perire, sanctus Abbas per villam, in qua morabatur idem monachus, transiret, et ad domum illius hospitandi gratia diverteret. Quem ille cognoscens, et quasi proprium patrem cum multa reverentia excipiens, devote ministravit, et tam ipsi, quam jumentis necessaria copiose procuravit: non tamen cognitus est ab Abbate. Mane cum Vir sanctus dictis matutinis paratus esset ad eundem, nec posset loqui sacerdoti, eo quod matutinis surgens isset ad ecclesiam, ait filio ipsius sacerdotis. « Vade, defer nuntium istud domino tuo. » Erat autem puer idem mutus a nativitate. Qui præcepto obediens, et præcipientis sentiens in se virtutem, ad patrem cucurrit, et sancti Patris verba verbis valde absolute expressit, dicens: « Hæc et hæc mandat tibi Abbas. » Pater primam filii vocem audiens, et præ gaudio lacrymans, ut secundo ac tertio eadem verba repeteret, admonuit; et quid sibi Abbas fecerit, inquisivit. Cui ille: Nihil aliud mihi fecit, sed solummodo mihi dixit: Vade, dic domino tuo verba hæc. » Ad tam evidens miraculum sacerdos compunctus, festinanter ad sanctum Virum venit, seque cum lacrymis ad pedes illius prostravit: « Domine, inquit, pater, monachus vester talis ac talis fui, et tali tempore a tali monasterio recessi. Rogo igitur Paternitatem vestram, ut liceat mihi redire vobiscum ad monasterium, quia Deus in adventu vestro visitavit cor meum. » Cui sanctus: « Expecta me hic, et ego peracto negotio citius revertens ducam te mecum. » Timens ille mortem, quam prius non timebat, respondit: « Domine, timeo interim mori. » Ad hæc ille: « Hoc, inquit, pro certo scias, quia si in tali conditione ac proposito mortuus fueris, coram

(132) Insignis hic locus ad illustrandam dignitatem abbatis Cisterciensis, de quo vide epistolam 4, num. 3, et epistolam 5, num. 1, ubi Commissor appellatur. Conf. epistolam 6, num. 1. Idem abbas

Deo monachus invenieris. » Recessit, illumque recenter mortuum ac sepultum audiens, sepulcrum aperire præcepit; dicentibus quid vellet facere, respondit: « Volo videre utrum in sepulcro jaceat monachus, an clericus. » Clericum, inquit, in habitu sæculari sepelivimus. » Rejecta terra, non in veste qua sepultus fuit, sed in tonsura et in habitu monachi cunctis apparuit: et magnificatus est ab omnibus Deus.

## 1210 CAPUT XXII.

*De vocatione Arnulfi viri nobilis in Flandria, et penitentia ipsi a beato Bernardo imposita.*

35. Dum reverendissimus pater Bernardus aliquando provinciam Flandriæ intrasset, et retia Dei quaquaversum in capturam animarum laxasset, et nobiles et litteratos viros multos de fluctibus sæculi ad littus conversionis attraheret, inter cæteros illustri quidam Arnulfus nomine de Majorca, dives et delicatus nimis, secreto in manibus ejus se reddidit. Fuit autem utriusque consilium rem silentio tegere propter quædam impedimenta sæculi, usque ad ultimum diem quo egressurus esset de terra et cognatione sua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis et fratribus, tantisque divitiis irretitus, ut absque suorum damno et scandalo gravi abrumperere se non posset, nisi prius domum sapienter et caute disponeret. Interea vero dum silentium istud tenerent omnia, et arcani hujus negotii causam ipsi duo soli in mundo scirent, factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cum boves minaret ad aratrum, dicens: « Vade, dic Arnulfo de Majorca, ut secum ducat te in Claram-Vallem, quo proxime iturus est ad conversionem; et tu cum eo convertere. Audivit vero vocem, sed neminem videbat. Facta autem hac voce, cepit pauper ille attentius orare, ut si a Domino sermo fuisset, revelaret iterum auriculam ejus. Et adjecit secundo loqui ad ipsum, repetens eundem sermonem. Accepto itaque secunda vice oraculo, venit ad prætaxatum virum, et ait: « Verbum mihi ad te dominum meum. » A quo cum fuisset ductus in partem, procidit ad genua ejus, dicens: « Obsecro te per Christum Dominum nostrum, ut ducas me ad Claram-Vallem tuam, ut salves tecum animam meam; et si scire desideras, Dominus pius et misericors secreta tua, causa salutis meæ, mihi revelare dignatus est. »

36. Audiens autem nobilis ille paterfamilias verba ista, miratus et lætatus est valde; acceptumque hominem conduxit ad seipsum: quem etiam postmodum individuum comitem itineris pariter et conversionis habuit, habiturus, ut credimus, consortem æternæ retributionis. Explicitis itaque negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claram-Vallem, tam submissus humilitate,

« Ordinis Pater universalis » item ab Herberto appellatur, infra, num. 17.

(133) Desumptum ex cod. Barbelliano ordin. Cisterc. in diœcesi Senonensi.